

D. D.  
DISSERTATIO PHILOSOPHICA,  
MEDITATIONES NONNULLAS  
DE

**DIVISIBILITATE  
COMPOSITORUM  
IN  
INFINITUM  
SISTENS,**

QUAM,  
*Suffragante Ampliff. Senat. Phil. in Reg. Academia  
Aboënsi,*

*Publico eruditorum examini modeste submitunt,*

AUCTOR

**WILHELMUS ROBERTUS  
NÄÄF,**

Facult. Phil. Adjunctus,

ATQUE

RESPONDENS

**SAMUEL NORRGREEN,**

*WIBURGENSIS,*

In Auditorio Majori ad Diem XVIII. Dec. MDCCLIII.  
H. A. M. S.

---

ABOÆ, impressit Direct. & Typogr. Reg. Mag. Duc. Finland.  
JACOB MERCKELL,




Monſieur & Deſenſeur de cette Savante Theſe

**L**es ſentimens differens, qui ſe ſont trouvé journallement parmi les ſavans, ont été cauſe, que des vérités ont été expoſées à de ſacheuſes deſtinées. Le ſujet de cette ſavante Diſſertation le demontre clairement, puisqu' il a donné beaucoup d' inquietude & de peine à tous nos anciens Savans à commencer depuis Pythagoras juſqu' à preſent. Les Mathématiciens d' un côté ont prouvé ſuffiſamment & avec des raiſons ſolides, qu' une Matiere plut être diuiſée dans des parties infinies, qui ont leur grandeur certaine. Les Metaphyſiciens d' un autre côté, qui pretendent qu' un corps ait un certain nombre des parties, qui l' ont formé, ont refuté la même hypothèſe avec des argumens ſouvent ſubtiles & artificieux. Ayant bien voulu, Monſieur, prendre le parti du ſentiment des premiers, faites connoître manifeſtement l' érudition parfaite & la connoiſſance profonde, que vous poſſédez des belles lettres, en rejetant le ſentiment des parties adverſes avec des raiſons Metaphyſiques & on prouvant publiquement & au contentement de tout le monde la fauſſeté de leur matiere, par leur propres raiſonnemens & principes. Permettez moi donc, Monſieur, de profiter d' une occaſion auſſi favorable, que celle qui ſe préſente aujourd' hui, pour vous convaincre de l' attachement, que j' ai pour Votre perſonne. Soyez perſuadé, que le succès, que Vous avez fait dans les belles lettres, & dans la vertu, ſera toujours accompagné de mon applaudiffement, & de l' amitié qui a toujours regné entre Nous depuis notre enfance. Du reſte Dieu veuille exhauffer les vœux ſinceres, que je lui adreſſe & Vous faire couronner des lauriers, que Vous avez toujours cherché de gagner par Vos travaux & par Votre vertu. C' eſt ce donc je vous prie, d' être aſſuré & de l' eſtime parfaite avec la quelle j' ai l' honneur de me dire

Monſieur & Deſenſeur de cette Theſe

Votre très obéiſſant &  
très affectionné ſerviteur  
G. F. A.





§. I.



**T** nulla est hypothesis, maxime licet erronea, quæ sui haud nata est fautores; ita nec ulla fere veritas, suis destituta oſoribus, hactenus in orbem prodiit literatum. Hinc quoque in civitate Musarum tot sententiarum divortia, tot contentiones & diffidia, ut eadem donatis Virgilianum illud merito exclames:

- - - - *En! quo discordia cives*

*Perduxit miseros* - - - - Eclog. I. 72.

Exempla hujus rei in scriptis philosophorum ubique propemodum, & ultro quasi, nobis sese offerunt. Hic igitur, instar omnium, vel nominasse tantum sufficit in se verissimum illud & plus quam celebre dogma de divisibilitate compositorum in infinitum, utpote quod inde a multis retro seculis doctissimi viri, magno animorum motu, ultro citroque, & plane

A

con-



contrariis sententiis discussissent, ita quidem, ut nec etiamnum composita lis videatur. Etsi enim argumenta Geometrica, quibus illud propugnare solent accuratiores Physici, tanta radiant luce, ut mentis, vel leviter attendentis, assensum impetrent; eorum tamen haud facile iniri potest numerus, qui rotundo clamitant ore, hæc ipsa valere tantum de extenso & composito imaginario, vel quod dicere amant, Mathematico; idque ut eo firmiter tueantur, ad Ontologica provocant principia, ex quibus constare arbitrantur, tantum abesse, ut memorata divisibilitas cum composito physico & materiali amice conspiret, ut nihil potius, quod naturæ ejus ac proprietatibus necessariis magis adversum sit, excogitari vel fingi possit. Ecquis proinde contra hos quidquam efficeret, clarissima Geometrarum enunciata in partes suas advocando? Vix aliud, quam majori tergiverlandi occasione iis oblata, locum suspicioni dabit, quasi diffusæ causæ, vereretur eousque in aciem procedere, quo vocant isti. Ego igitur, licet eo audaciæ non proruperim, ut opiner me, in hac ardua latis & difficili controversia aliquid egregii posse præstare: quippe quod maturius omnino subactiusque requirat ingenium; in ea tamen stricturis quibusdam Metaphysicis illustranda Musam laceßere & exiguas mentis vires potissimum periclitari apud animum meum proposui. A Te interim B. L. qua par est observantia, etiam atque etiam peto, digneris, pro solita  
tua

tua humanitate, innoxium laborem candide interpretari, & defectum, aut æquo animo ferre, aut ipse supplere.

§. II.

**N**otum est illis, qui vel levissima tincti sunt cognitione Ontologica, *ens compositum* dici id, quod ex pluribus a se invicem distinctis constat partibus; *Simplex* vero, quod opposita se habet ratione. Unde mox sua veluti sponte sequitur, compositum inter & simplex nullum dari medium, omnemque proinde realitatem, quæ composito, qua tali, competit, ab ente simplici omnino removendam esse, & versa vice.

§. III.

**N**ec minus obvium, per quod ens sit intrinsece possibile, illud ejus esse essentiam (Conf. Wall. Syst. Metaph. §. 325.) Quoniam igitur compositum ideo intrinsece possibile est, quod hujus vel illius generis i. e. tales partes, hoc & non alio modo, invicem possint combinari (§. præc.); *in modo combinationis talium & non aliarum partium sita est essentia compositi.*

§. IV.

**P**artes compositi juxta se invicem non absoluta quadam & simplici necessitate existunt. Pone enim compositum aliquod habere partes, tali necessitate sibi



invicem coëxistentes; ponatur simul, necesse est, existentiam hujus compositi esse absolute necessariam, omnemque adeo conditionem respuere. Sed nullum compositum existit, vel existere potest, nisi sub hac conditione, si plures partes, a se invicem realiter distinctæ, certo modo combinatæ evadant (§. II.). Fieri itaque nequit, ut ullius compositi partes juxta se invicem absoluta quadam & simplici necessitate existant.

Unde etiam dijudicare licet, quam importuni sint eorum calculi, qui partes spatii, instar extensi penetrabilis considerati, absoluta necessitate connexas statuunt, existimantes id ipsum Deo coævum esse, ac infinitam ejus vereque interminatam essentiam exprimere. Dolendum, hoc tam perniciosum dogma ab iis pertinacius defendi, qui celebre inter philosophos consecuti sunt nomen, suaquæ ideo auctoritate infirmioribus eo facilius imponunt. De Josepho Raphson, Henr. Moro, Clarckio, aliisque res nemini ignota est.

### §. V.

**R**atio seu proportio est illa rerum mutua habitudo; qua una, semel vel aliquoties sumpta, alteram vel superat, vel exhaurit & adæquat.

### §. VI.

**C**ompositum inter ac unamquamque partium ratio aliqua intercedat, necesse est. Nam omnes partes, semel sumptæ, toti suo, h. e. composito, quod inde resultat, æqua-

æquales sunt, & per consequens bis sumtæ idem superant. (Wolf. Ont. §. 355.). Verum enimvero, quæcunque semel vel aliquoties sumta se invicem superare possunt, illa inter se quoque rationem habere debent (§. præced.). Patet ergo, quod inferendum erat, compositum inter ac partes ejus singulas non posse non aliquam dari rationem.

Abiit tamen existimes, rationem istam finita arte finitisque viribus semper assignari posse, cum luculenter satis contrarium evincant partes illæ infinite parvæ, de quibus sæpius in Mathesi iacitit sermo.

§. VII.

**C**ompositum inter ac simplex nulla dari potest ratio. Etenim ratio est illa rerum mutua habitudo, qua una, semel vel aliquoties sumta, alteram vel adæquat, vel superat (§. V.). Quodsi igitur compositum inter ac simplex aliqua intercederet ratio, tum unum quoque eorum in altero contineretur, vel, quod idem est, unum ab altero mensurari posset. Consequenter, cum entia heterogenea s. diversi generis se invicem metiri nequeant (Wall. Syst. Met. §. 823.); compositum & simplex non oppositè diversam inter se haberent indolem, nec omnis proinde realitas, quæ alteri eorum formaliter convenit, ab altero esset removenda. Quod cum absolute sit, nec sine aperta utriusque entis confusione admitti queat (§. II.); indubium omnino manet, quod præsentī enunciamus thesi.



§. VIII.

**C**ompositum ex simplicibus constare nequit. Compositum namque & singulæ ejus partes inter se rationem aliquam habere debent (§. VI.). Jam vero compositum inter ac simplex nulla dari potest ratio (§. præc.) Partibus igitur, unde resultabit compositum aliquod, e diametro repugnat simplicitas, vel, quod eodem recidit, compositum ex simplicibus constare nequit.

Idem sic quoque patet, Ponamus, si fieri potest, ex simplicibus, certo modo secum invicem junctis, prodire compositum, illa igitur vel suam retinerent essentiam; vel non (Quodlibet enim est, vel non est, per princ. exclusi medii). Si *hoc*, quia, sublata essentia, tollitur ens (p. princ. Ont.); internam compositi constitutionem minime ingrederentur simplicia: id quod assumptam evertit hypothesin. Si *illud*, quoniam nullum ens plures atq; diversas admittit essentias (itid. p. princ. Ont.); compositum ejusque elementa simplicia unam eandemq; haberent essentiam. Jam vero consistit essentia compositi in modo, quo tales partes invicem combinantur (§. III.); in eodem igitur sita esset essentia simplicium: quo nihil unquam absurdus excogitari vel fingi potest. Ex simplicibus adeo, utcunque conjunctis & juxta se invicem positis, ullum prodire nequit compositum.

Immo idem etiam hac ratione ostenditur. Fingamus aliquod compositum determinatæ magnitudinis A, cujus partes sint simplicia b. c. d. e. Est itaque  $A = b + c + d + e$  (totum enim æquale est omni-



omnibus suis partibus simul). Quoniam autem partes istæ, ob simplicitatem suam, omni prorsus magnitudine destitutæ sunt (Wolf. Ont. §. 678.), ideoque in æstimanda magnitudine  $\tau\bar{a}$  A pro nihilo habentur; ablatis  $b\ddagger c$ , restant  $d\ddagger e = A$ . Erit ergo  $A = b\ddagger c\ddagger d\ddagger e$ , & simul non, quod quidem in primum cognoscendi principium directe incurrit. Relinquitur adeo, ex simplicibus nullum constare posse compositum.

Sed utut hæc conspicua sint, & a formidine oppositi libera; dicit tamen, & quasi ex tripode lata sententia, nos credere jubet Illustris Leibnitius, *sine Monadibus, h. e. substantiis plane simplicibus, omniumque partium expertibus, nullum concipi, ne dum dari posse compositum* Vid. Princip. Philosoph. § II. Cujus quidem hypotheseos, si noster calculus dignus sit, qui numeretur, vel inde reddi potest ratio, quod vir, stupendo ceteroquin & tantum non incomparabili tinctus ingenio, falsam sibi minusque distinctam formaverit unitatis ideam. Spectavit nimirum entia quævis composita tanquam numeros, ex suis unitatibus resultantem. Confr. Otium Hanov. pag. 227. item Journal des Sçav. 1695. p. 454. Hinc quemadmodum, ad ejus mentem, unitati nihil demi potest; ita etiam prima compositorum elementa usque adeo simplicia esse existimavit, ut in minores partes nullo modo resolvi possent, & consequenter divisibilitati materiæ finem prorsus limitesque ponerent. Vid. Receuil des div. pieces. Tom. 1. p. 61. Placita Leibnitii, ut



ut in multis aliis, sic etiam in præfenti negotio, suo suffragio adprobat alter recentioris philosophiæ parens, hoc nomine dignissimus, Christ. Wolffius. Mavult tamen Elementorum titulo insignire, quæ Leibnitio Monades audiunt, hæc licet inter se non ita multum dissentire, ulro agnoscat Metaph. Germ. §. 599. Tanta igitur nomina cum præferret nova isthæc, vel potius ex pulvere Pythagoræ renata quasi philosophandi ratio, tanto etiam minus mirari convenit, quod magno excepta plausu, per orbem literatum longe lateque serplerit. Sed nec defuere tamen viri celeberrimi, qui cum Stræhlero & Langio in hoc statim vel maxime elaborarunt, ut æquis rerum æstimatoribus illam non uno nomine suspectam redderent, ejusque fautores periculosissimis includerent labyrinthis. Loquimur de instituto: quod enim ad successum operis attinet, de eo varie varii judicant. Quicquid vero sit, haud ita pridem certe rem ipsam accuratiori eruditorum examini submittendam esse decrevit Reg. Academia Scientiarum Berolinensis, sub spe præmii proposita quæstione: *An, & quousque Monadologia Leibnitio-Wolfiana aliquam scientiæ rerum naturalium affundat lucem?* Post auctorem igitur scripti: *Gedanken von den elementen der körper &c.*, quem nonnulli statuunt Celeb. Eulerum, grande illud inter Mathematicos nomen, decisionem hujus quæstionis aggressus est Johannes Henrichus Gottl. Justi, Part. VI. *Volum. IV. Ergetzungen der vernünfftigen Seele &c.* ubi doctrinam de Monadibus & Elementis rerum strenue impu-



impugnavit; & eo quidem successu, ut promissum reportaret præmium. Hoc tamen impedire non potuit, quin mox in scenam prodirent auctor Anonymus libelli, cui titulus: *Prüfung einer in den Ergetzungen der vernünftigen Seele ohnlangst an das licht gestellten Schrift* &c. Canzius Med. Philosph §. 302—313. Joh. Christ. Eschenbach. Tract. de Realitate Monad. § 72. & seq. alique plures, qui, cum vererentur, ne, dejecto tam magno recentioris philosphiæ fundamento, cetera quoque, si non corruerent penitus, in præcipitio tamen starent, omnem moverunt lapidem, ut, si quid aliud, id certe, quod de Monadibus commentatus est Ampliss. Justi, convellerent infirmarentque. Operæ, fatemur, pretium foret, certamen hocce literarium altius repetere, & rationes ab utraque parte adductas speciatim intueri. Ast, cum id non permittat loci hujus angustia, nec a nobis ultra postulari possit, quam instituti ratio exsolcit; hoc unum saltem, quod patroni simplicium tantum non omnes clavam Herculeam putant, expediemus argumentum: “Scilicet, cum nulla, inquit, substantia, simplex, quæ in numero elementorum est, alteri cuidam in eodem numero ex asse similis sit” (p. princ. Ident. Indiscernibil.); neque plures istiusmodi substantiæ in uno indivisibili puncto simul esse possunt, sed alia extra aliam, seu, omnes extra se invicem existant, necesse est. Quamobrem, cum in his ipsis substantiis sufficiens contineatur ratio, cur hoc modo potius coexistant, quam alio; posito

B

aliquo



'aliquo earundem aggregato, nullam inde eximere  
 '& aliam eodem salvo ipsi substituere licet, ideo-  
 "que singulæ inter se unitæ sunt. Habemus adeo  
 "entia plura diversa, seu, extra se invicem existen-  
 "tia, in uno coëxistentia. Quare, cum extensum  
 "constituatur multorum extra se invicem existen-  
 "tium unione; ex aggregatione substantiarum,  
 "quæ in numero elementorum sunt, unum enascitur  
 "extensum atque compositum." Sed multa sunt, quæ  
 hic virgulam merentur censoriam. Omnium primo  
 scilicet tantum abest, ut principium Ident. Indiscer-  
 nib., cui dissimilitudo elementorum innexa ponitur,  
 ulla se commendet veritatis specie, ut potius jam du-  
 dum sufficienter evictum arbitremur, id oppido falsum  
 esse, & principii nomine prorsus indignum (Vid.  
 Wall. Syst. Met. §. 507.). Deinde, etiamsi dissi-  
 milia essent & qualitibus differrent ficta ista, quæ  
 tantopere celebrantur elementa; num ideo tamen  
 mox quavis exceptione verius foret, quod plura  
 eorum adeo non simul in uno indivisibili puncto  
 existere possent, ut sua potius coëxistentia necessa-  
 rio determinatam partem spatii implerent? Profecto,  
 cum unum elementum, quia ex hypothese simplex  
 est, spatium aliquod implere nequeat (Wolf. Ont.  
 §. 679.); neque plura ejusdem generis entia, qui-  
 buscunque vestita fuerint qualitibus, vel minutis-  
 simam partem spatii implere poterunt. Nisi enim  
 ita esset, inter numerum elementorum & spatium,  
 ab illis occupatum, ejusmodi procul dubio daretur  
 proportio, ut, si v. g. mille elementa implerent spa-  
 tium



tium A, tum duo millia eorundem implerent spatium, spatio A duplo majus, centum millia centuplo majus, & sic porro. Sed quomodo, quæsumus, hoc concipias, nisi singulis elementis certam assignaveris magnitudinem, simplicitati eorundem plane pleneque adversam? Præter hos in prolato sophismate nævos, quæ tandem & qualis isthæc propositionum connexio: *posito aliquo elementorum aggregato, nullum eorum inde eximere atque aliud eodem salvo ipsi substituere licet: ergo inter ipsa elementa talis intercedit unio, qualem quodvis exigit continuum.* Neque ullam sane heic esse consequentiam, res est vel inde testatissima, quod multa indissolubili & plus quam sororio nexu conjuncta sint, quæ nihil minus tamen, quam unum constituunt continuum. Sic nemo, cui vel primis, quod ajunt, labris Metaphysices degustare contigit principia, ignorat, prædicata entis essentialia ejusq; attributa eam ad se invicem habere relationem, ut, salvo ente, nihil eorum tolli, nihil quicquam aliud in ullius eorundem locum substitui possit. Ecquis vero, nisi præjudiciorum caligine occæcatus, hæc ipsa ideo ad continuum aliquod formandum unita dixerit? Sed propius ad institutum.

§. IX.

**I**n infinitum divisibile dicimus, in quo dividendo nunquam perveniri contingit ad partes, non amplius divisibiles, seu, quod in plures partes resolvitur



potest, quam quæ numero quovis assignabili defini-  
antur.

Finitum scilicet in Matheſi vocari ſvevit, cujus  
magitudo a nobis determinari poteſt. Ita e. g. lon-  
gitudò finita eſt, cui assignari poſſunt termini, un-  
de incipit, & ubi deſinit. Infinitem contra dicitur,  
quod finito quovis & homogèneo majus eſt, om-  
nemque proinde, quæ a nobis adhiberi queat, men-  
ſuram reſpuit. Atque hinc incunabula ſua repetit  
idea diviſibilitatis infinitæ, quam quidem, ad men-  
tem Mathematicorum, accurate ſic delineatam eſſe,  
ultra patet.

### §. X.

**H**iſce jam factis quaſi tranſactisque, haud diffi-  
cili negotio aſſequimur, quod nobis evolven-  
dum ſumſimus, *omne ſc. compositum, quamcunque illud  
magnitudinem poſſideat, eſſe in infinitum diviſibile.* Quem-  
admodum enim compositum ex pluribus a ſe in-  
vicem diſtinctis conſtat partibus (§. II.); ita par-  
tes iſtæ vel iterum compositæ ſunt, ſ. alias habent  
partes, hæ rurfus alias, & ſic in infinitum; vel de-  
veniendum tandem ad partes, quæ ex aliis non  
conſtant partibus. Non *hoc*; quia ſic internam com-  
poſiti conſtitutionem ingredi poſſent ſimplicia (§.  
cit.); quod tamen mox (§. VIII.) demonſtratis  
plus, quam luculenter, repugnat. Ergo *illud* aſſu-  
mendum, & per conſequens, cum nexus partium  
non ſit absolute neceſſarius (§. IV.); in composito  
dividendo nunquam pervenire licet ad partes, in a-  
lias



lias irresolubiles. Unde theoremati nostro sua constat veritas (§. præced.).

Idem etiam hac ratione ostendi poterat: Essentia compositi consistit in modo, quo tales, & non aliæ, partes mutuo combinantur (§. III.). Quare, cum nihil impediat, quin partes istæ a se invicem removeri possint, &, quantum libet, distantes fieri (§. IV.); nil etiam obstat, quominus compositum, suam donec retinuerit essentiam, in partes resolvi ac dividi queat. Sed omne ens, ideoque compositum, ejus est indolis, ut si sua aliquando privaretur essentia, simul cessaret intrinseca ejus possibilitas, quod omnino absurdum. Quantumcunque igitur dividatur compositum, nunquam tamen desinit esse tale, ut in alias aliasque partes adhuc dividi possit, adeoque per §. IX. est manetque in infinitum divisibile.

§. XI.

**D**Emonstrata sic nostra sententia, ad argutias adversariorum ut jam pedem promoveamus, institutum requirit; sed ita tamen, ut de hac loliorum messe, quia nimis larga est, unum tantum alterumve decerpisse simus contenti. Ecce igitur! gravissimum, quod nobis obvertunt, & de quo certe non semel nec parum glorianur, argumentum hoc est: Quot partes a toto aliquo per divisionem produci possunt, tot ibi revera sunt, non successive & potentialiter, sed simul. Quamobrem, si compositum sine fine ac termino, vel quod



"quod eodem recidit, in infinitas partes dissolvi pos-  
 "set, tum certe numerus partium, quibus illud con-  
 "stat, pariter infinitus foret, & quidem ipso actu.  
 "Consequenter, cum ejusmodi numerus nullius com-  
 "possibilis numeri defectu laboret; non plura, nec  
 "pauciora, ingredientia concipere liceret in toto com-  
 "posito, quam in qualibet ejus parte, ideoque to-  
 "tum non esset æquale omnibus suis partibus, simul  
 "sumtis, sed cuiusvis earum leorsim spectatæ. Quod  
 "cum absonum sit, & in IX. axioma Lib. I. Eucl.  
 "directe incurrat; manifesto etiam colligitur, di-  
 "visibilitatem compositi in infinitum fictitiam esse,  
 "omnique destitutam fundamento." Sed utut hæc  
 videantur speciosa, accuratiori tamen lance ponder-  
 rata in fumum abeunt. Quodsi enim ens in infini-  
 tum divisibile constaret partibus, qua numerum, a-  
 ctu ipso infinitis, tum partium ejus infiniteimarum  
 nulla amplius dividi posset, quam alias numerus a-  
 ctu infinitus, contra naturam ac indolem suam, es-  
 set incrementi capax. Quam certum igitur, in ente  
 sine fine ac termino divisibili, citra contradictionem,  
 indivisibilia non posse admitti, tam certum  
 quoque erit, in eodem contineri numerum partium  
 non actu, sed potentia infinitum, utpote in quo nulli  
 proponi possunt termini, ultra quos ulterius augeri  
 repugnat. Quid ergo impedit, quominus duo plurave  
 existere possint in infinitum divisibilia, qua numerum  
 partium componentium, inter se differentia? Accedit,  
 quod in æqualitate rerum determinanda, non tam nu-  
 mero partium, quam potius identitati magnitudinis  
 earun-



earundem, animum attendere oporteat. Sic omnia tri-  
angula tribus constant lateribus, ea tamen ideo æqua-  
lia dicturum crediderim sane neminem.

§. XII.

**V**identes igitur, contra quos disputamus, se, hoc  
argumento, ne minimum quidem efficere pos-  
se, mox principium rationis sufficientis malæ suæ  
causæ in subsidium vocant; nihil interesse rati, un-  
de rationes desumant, modo vincant. “Composi-  
tum, inquit, pluribus atque a se invicem distin-  
ctis constat partibus. Sed unde partes (non hæ vel  
illæ) sed in genere. Non ex alijs minoribus. Quæ-  
sivimus enim de hisce, ut jam tum sub genere  
partium comprehensis. Quamobrem, aut nulla  
datur causa Logica & ratio sufficiens a priori, cur  
& unde sint in composito partes, aut ratio illa de-  
rivanda est ex entibus, quæ nullas habent partes,  
nullamque ideo divisionem admittunt. Sed uti pri-  
us principium rat. suff. evertit; ita nil restat, nisi  
ut statuatur posterius. Est ergo compositum in-  
finitum divisibile intellectus impuri fœtus, seu, ens  
omnino imaginarium, quod non existit, neque ex-  
istere potest. Et. Haud absimili argumento, muta-  
tis mutandis, probari posset, entia simplicia & in-  
dividua ad composita in infinitum divisibilia suos  
referre natales ( Videtis tractatum, qui, auctore læ-  
pius laudato Justi, inscribitur: *Nichtigkeit aller Ein-  
würffe. &c. §. 93.* ). Sed transeat hoc. Ut invi-  
ctum



Etum & ab ipsis adversariis concessum ponimus, partes, dum generatim spectantur, ad eas pertinere determinaciones compositi, quæ essentialium nomine venire solent. Quoniam igitur essentialia constanter insunt, nec cur insint, ullam in ipso ente rationem a priori agnoscunt (per princ. Ont.); tantum abest, ut principium rationis sufficientis aliquam postulet rationem a priori, cur & unde sint in composito partes, ut potius, facto tectoque manente principio contradictionis, nulla ejusmodi concipi, ne dum dari queat ratio. Unde sua sponte, & uno quasi ictu totum hocce corrui argumentum, quod tamen prima fronte videbatur firmissimum.

Atque hæc sunt, quæ de infinita compositorum divisibilitate disserere decrevimus. Superfunt, fa-  
teor, longe plura, quæ huc commode transferri possent, sed quominus illis diutius immoraremur, non tam dissuasit, quam prohibuit omnino temporis brevitatis, & instituti arcti limites.

Manum igitur de tabula.

